



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Fragmenta Ex Libris Senecæ Qvi Intercidervnt.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

FRAGMENTA


EX LIBRIS SENECAE

QUI INTERCIDERUNT.

Quintilianus cap. III. lib. VIII.

I.  OSTRI autem in iungendo, aut deriuando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium & Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an gradus eliminat apud Attium, in tragœdiâ dici oportuisset.

Cap. v. eiusdem libri.

II.  Facit quasdam sententias sola geminatio, qualis est Seneca in eo scripto, quod Nero ad Senatum misit occisâ matre, cum se periclitatum videri vellet: Saluum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo.

Cap. II. lib. IX.

III. Noui verò, & præcipuè declamatores, audacius, nec mehercules sine motu quodam imaginantur. vt Seneca in controuersia, cuius summa est, quod pater filium & nouercam, inducente altero filio, in adulterio deprehensus occidit: Duc sequor, accipe hanc fenilem manum, & quocumque vis imprime. Et paullo post: Aspice, inquit, quod diu non credidisti. Ego verò non video, nox oboritur, & crassa caligo. Habet hæc figura manifestius aliquid. Non enim narrari res, sed agi videtur.

Ibidem.

III. Nam in totum iurare, nisi vbi necesse est, graui viro parum conuenit. Et est à Seneca dictum eleganter, Non patronorum hoc esse, sed testium.

Plinius Nat. Hist. lib. VI. cap. XVII.

V. Seneca etiam apud nos tentatâ Indiae commentatione, LX. amnes eius prodidit. gentes duodeuiginti centumque. Par labor sit montes enumerare.

Cap. LIII. lib. IX.


VI. Aui piscium memorandum nuper exemplum accepimus. Pausilypum villa est Campania, haud procul Neapoli. in eâ in Caesaris piscinis à Pollione Vedio comestum piscem, sexagesimum post annum exspirasse scribit Annæus Seneca, duobus aliis aequalibus eius ex eodem genere, etiam tunc uiuentibus.

Suetonius Tiberij cap. LXXIII.

VII. Seneca cum (Tiberium) scribit, intellectâ defectione, exemptum anulum, quasi alicui traditurum, parumper tenuisse: dein rursus aptasse digito, &c.

A. Gel.

NOTÆ.

II.  EC CREDO, NEC GAUDEO.] Nec credo, ob magnitudinem scilicet & presentiam periculi: nec gaudeo, ob pietatem, quia mater molita est, & in eam debui insurgere ad amoliendum.

III. SENECA IN CONTROVERSIÀ.] Dubites, sit noster iste, an pater.

V. TENTATA INDIAE COMMENTATIONE.] Itaque regiones descripsit, aus & historiam scripsit, vt apparet. Adde Fragmentum VII. & XXIX. & XXXVIII. & XXXIX.

IX. TER-

A. Gellius cap. II. lib. XI. Noct. Atticarum.

Seneca in lib. XXI. Epistolarum moralium quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus VIII.
 Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit:

— Dicitus ollis popularibus olim,
 Qui tum viuebant homines, atque æuam agitabant,
 Flos delibatus populi & suada medulla.

Ac deinde scribit de iisdem versibus verba hæc: Admiror eloquentissimos viros, & deditos
 Ennio, pro optimis ridicula laudasse. Cicero certè inter bonos eius versus & hos refert.
 Atque id etiam de Cicerone dicit. Non miror, inquit, fuisse qui hos versus scriberet, cum
 fuerit qui laudaret: nisi fortè Cicero summus orator agebat causam suam, & volebat hos
 versus videri bonos. Paullò post. Apud ipsum quoque, inquit Seneca, Ciceronem in-
 uenies etiam in prosâ oratione quadam, ex quibus intelligas illum non perdidisse ope-
 ram, quòd Ennium legit. Ponit deinde quæ apud Ciceronem reprehendat, quasi Enniana, quòd
 ita scripserit in libris de republicâ, Vt Menelao Laconi fuit suauiloquens iucunditas. & quòd
 alio in loco dixerit, Breuiloquentiam in dicendo colat. Deinde: Non fuit, inquit Seneca, Ci-
 ceronis hoc vitium, sed temporis. necesse erat hæc dici, cum illa legerentur. Deinde ad-
 scribit, Ciceronem hæc ipsa interposuisse ad effugiendam infamiam nimis lasciuæ orationis & miti-
 de. De Virgilio quoque eodem in loco verba hæc ponit: Virgilius quoque noster non ex aliâ
 causâ duos quosdam versus, & enormes, & aliquid supra mensuram trahentes inter-
 poluit, quàm vt Ennianus populus agnosceret in nouo carmine antiquitatis aliquid.
 Addit non multò post ex Senecâ: Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennij, vt licet
 scripti sint inter hircosofos, possint tamen inter vnguentatos placere. Et cum reprehendisset
 versus, quos supra de Cethego posuimus, Qui huiusmodi, inquit, versus amant, liceat tibi
 eisdem admirari & Soterici lectos. Audias tamen commemorari ac referri pauca quedam que
 ipse idem Seneca bene dixerit: quale est illud quod in hominem auarum & auidum & pecuniæ si-
 tientem dixit, Quid enim referat quantum habeas? multo illud plus est quod non habes.

Tertullianus de Animâ, cap. XLII.

Multò conctius Seneca: Post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa. IX.

Lactantius diuinarum institutionum lib. I. cap. IIII.

Anneus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quàm sæpè summum X.
 Deum meritâ laude profecutus? Nam cum de immaturâ morte differeret, Non intelligis, in-
 quit, auctoritatem, ac maiestatem iudicis tui? Rector is orbis terrarum, cæliq; & deorum
 omnium Deus: à quo ista numina, quæ singula adoramus & colimus, suspensa sunt?
 Item in exhortationibus: Hic, cum prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, & hoc
 ordiretur, quo neque maius quicquam nouit natura, nec melius, vt omnia sub ducibus
 suis irent, quamuis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deos
 genuit. Et quàm multa alia de Deo NOSTRIS SIMILIA locutus est? quæ nunc differo, quòd
 aliis locis opportuniore sunt.

Cap. VII.

Et est illud verum, quod dixisse in Exhortationibus Senecam supra retuli, genuisse regni sui XI.
 ministros Deum.

Eodem cap. VII.

Quod Seneca VIR ACVTVS in exhortationibus suis vidit. Nos, inquit, aliunde pendemus. XII.
 Itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis, debeamus. Alius nos
 edidit, alius instruxit: Deus ipse se fecit.

Eiusdem

IX. TERTULLIANVS DE ANIMA.] Citabant
 aliud ex eodem, cap. XX. vt Fragmentum: atqui ex-
 fiat IV. De Benefic. cap. VI. totidem verbis. Sed & se-
 quens sententia alibi in Epistolis, nisi memoria fallit.

XII. DEVS IPSE SE FECIT.] Conditio nem-
 pe mundo, qui est Deus Stoicus. Aliquid pro hoc sen-
 su in Physiolog. I. Dissert. VII. vide, & hunc locum,
 sis, adde.

Eiusdem lib. cap. xvi.

xiii. *Non illepidè Seneca, in libris moralis philosophiæ, Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Iupiter deserit liberos tollere? Vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Papiæ fibulam imposuit? an impetrauit ius trium liberorum? an tandem illi venit in mentem, Ab alio expectes, alteri quod feceris? & timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno?*

Libri II. cap. II.

xiiii. *Rectè igitur Seneca in libris Moralibus: Simulacra, inquit, deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant: illis per totum assident diem, aut adstant: illis stipem iaciunt, victimas cadunt: & cum hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt.*

Eiusdem lib. cap. IIII.

xv. *Meritò igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet. Non, inquit, bis pueri sumus (vt vulgò dicitur) sed semper. Verùm hoc interest, quòd maiora nos ludimus.*

Cap. IX.

xvi. *Meliùs igitur Seneca, omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nihil aliud esse Naturam, quàm Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? Nec enim illam didicit ex vlllo. Immo laudabimus. quamuis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipse natura est.*

Lib. III. cap. xv.

xvii. *Eodem ductus errore Seneca (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone?) Philosophia, inquit, nihil aliud est, quàm recta viuendi ratio: vel, honestè viuendi scientia: vel, ars rectè vitæ agendæ. Non errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem bonè honesteq; viuendi. Et qui dixerit illam regulam vitæ, suum illi nomen reddiderit.*

Ibidem.

xviii. *Idem Seneca in Exhortationibus: Plerique, inquit, Philosophorum tales sunt, vt sint deferti in conuicium suum. quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, professionis indicium putes: adeò redundant in ipsos maledicta in publicum missa. quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena.*

Ibidem.

xix. *Faciet sapiens, inquit idem Seneca, etiam quæ non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit: & quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtetur agendæ rei causâ. Et paulò post: Omnia quæ luxuriosi faciunt, quæque imperiti, faciet & sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito.*

Cap. xvi. eiusdem libri.

xx. *Et Seneca: Nondum sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit.*

Cap. xxiii.

xxi. *Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, vtrumne Soli quoque suos populos daret, ineptè scilicet, qui dubitauerit.*

Cap. xxv.

xxii. *Platonem quidem redemisse Anicris quidam traditur sestertiis VIII. Itaque infelicitus est conuiciis redemptorem Seneca, quòd paruo Platonem aestimauerit.*

Lib.

xxii. REDEMISSE ANICERIS SESTERTIIS OCTO.] *Insistimè, vt neutro genere accipias octona sestertia: id est, Philippicis ducentos. Sunt enim ipsæ viginti minæ, quibus redemisse*

Lib. v. cap. ix.

Qui volent scire omnia, Seneca libros in manus sumant, qui MORVM VITIORVMQVE XXIII.
PVBLICORVM ET DESCRIPTOR VERISSIMVS, ET ACCVSATOR
ACERRIMVS fuit.

Eiusdem libri cap. xiiii.

Relleigitur Seneca, incongruentiam hominibus obiectans, ait: Summa virtus illis videtur XXIII.
magnus animus. & iidem eum, qui contemnit mortem, pro furioso habent. quod est
vique summæ peruersitatis.

Lib. vi. cap. xvii.

Item Seneca in libris Moralis philosophiæ dicentis: Hic est ille homo honestus, non apice, XXV.
purpuræ, non licitorum insignis ministerio, sed nullâ re minor: qui cum mortem
in vicino videt, non sic perturbatur, tamquam rem nouam viderit: qui, siue toro cor-
pore tormenta patiendâ sunt, siue flamma ore recipienda est, siue extendendâ per
patibulum manus, non querit quid patiatur, sed quàm benè. *Qui autem Deum colit,*
hæc patitur, nec timet.

Cap. xxiiii. lib. vi.

Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit. scit enim illa omnia, in cuius XXVI.
conspectu viuimus: nec si vniuersos homines, celare possumus cui nihil absconditum, nihil po-
test esse secretum quod: Exhortationes suas Seneca mirabili sententiâ terminauit, Magnum,
inquit, nescio quid, maiusq; quàm cogitari potest, numen est. cui viuendo operam da-
mus, huic nos approbemus. Nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus Deo.
Quid verius dici potest ab eo qui Deum nescit, quàm dictum est ab homine vere religionis ignaro?

Ibidem.

Idem in eiusdem operis primo: Quid agis? inquit. quid machinaris? quid abscondis? Cu- XXVII.
stos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo:
hæret hic, quo carere numquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros remoues?
Putas tibi contigisse, vt oculos omnium effugias? Demens, quid tibi prodest non habe-
re conscium, habenti conscientiam?

Eiusdem, cap. xxv.

Quanto melius & verius Seneca? Vultisne vos, inquit, Deum cogitare magnum & XXVIII
placidum, & maiestate leni verendum? amicum, & semper in proximo? non immo-
lationibus, & sanguine multo colendum: quæ enim ex trucidatione immerentium vo-
luptas est? sed mente purâ, bono honestoque proposito? Non templa illi, congestis in
altitudinem saxi, struenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore.

Lib. vii. cap. xv.

Non inscite Seneca Romanæ urbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infan- XXIX.
tiam sub rege Romulo fuisse, à quo & genita, & quasi educata sit Roma: deinde pue-
ritiam sub ceteris regibus, à quibus & aucta sit, & disciplinis pluribus, institutisque
forma-

nisse eum Laërtius scripsit: etsi alij augent ad tri-
ginta.

XXIII. IDEM EVM, QVI CONTEMNIT MOR-
TEM.] *De Peripateticis sermo, qui abhorrent mortem*
spontaneam.

XXV. NON APICE, PURPURAVE.] *Apice, sacer-*
dotum.

XXVI. MAGNUM NESCIQ; QVID.] *Mirifica sen-*

tentia, & merito Lactantio laudata. Sed nota, quod
clausit Exhortationes Seneca: sicut & eadem Phy-
siologiam nostram, de Diuinis.

XXIX. NON INSCITE SENECA.] *Hæc ad Flo-*
ri Historiam, qua existat, referunt, & colligunt Se-
necam cognomento fuisse. Non puto huc facere, &
res inspecta dicit: quia alia in Floro diuisio, alijq;
finibus ætates terminantur. Confer, agnosces. Ergo
verius,

xxxiiij

formata: at verò Tarquinio regnante cum iam quasi adulta esse cœpisset, seruitium non tulisse, & reiecto superbae dominationis iugo, maluisse legibus obtemperare, quàm regibus: cumque esset adolescentia eius sine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus cœpisse iuuenescere. Sublatâ enim Carthagine, quæ tam diu æmula Imperij fuit, manus suas in totum orbem terrâ marique portexit: donec regibus cunctis, & nationibus imperio subiugatis, cum iam bellorum materia deficeret, viribus suis male vteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata ciuitilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperij recidit, quasi ad alteram infantiam reuoluta. Amisâ enim libertate, quam Bruto duce & auctore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi ad miniculo regentium niteretur.

B. Hieronymus aduersus Iouinianum libro primo.

xxx.

Claudia virgo Vestalis, cum in suspicionem venisset stupri, & simulacrum matris Idæe in exado Tyberis hæreret, ad comprobendam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse nauem, quam multe milia hominum trahere nequiverant. Melius tamen, inquit Lucani poëta patruus, cum illâ esset actum, si hoc quod euēnit, ornamentum potius exploratæ fuisset pudicitia, quàm dubia patrociniū.

Eodem libro.

xxxi.

Scripserunt Aristoteles, & Plutarchus, & NOSTER SENECA de matrimonio libros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & ista quæ subiungimus. Amor, formæ obliuio est, & infantia proximus, scædum minimeque conueniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: quietulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inuitiles, ipsi nouissimè amori, facit. Nam cum fruendi cupiditate infatigabili flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conuersionibus perdit, odium sui facit, & ipse nouissimè sibi odio est.

Paullo infra.

xxxii.

Refert præterea Seneca, cognouisse se quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fasciâ vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia eius carere poterat, potionemque nullam nisi alterius tactam labris, vir & vxor hauriebant: alia deinceps non minùs inepta facientes, in quæ improuida vis ardentis affectus erumpebat.

In fine.

xxxiii.

Nam quid, ait Seneca, de viris pauperibus dicam? quorum in nomen mariti, ad eludendas leges quæ contra cælibes sunt, pars magna conducitur. Quomodo potest regere mores, & præcipere castitatem, & mariti auctoritatem tueri, qui nupsit?

B. Augustinus de ciuitate Dei lib. vi. cap. x.

xxxiv.

Libertas sanè quæ huic defuit, ne istam vrbānam & theologiam theatricam simillimam, apertè sicut illam reprehendere auderet, Amico Seneca, quem nonnullis iudiciis inuenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. Affuit enim scribenti, viuenti defuit. Nam in eo libro quem contra superstitiones condidit, multò copiosius ac vehementius reprehendit ipse ciuilem istam & vrbānam theologiam, quàm Varro theatricam atque fabulosam. Cum enim de simulacris ageret, Sactos, inquit, immortales, inuiolabileque deos in materiâ vilissimâ atque immobili dedicant. Habitus illis hominum, ferarumque, & piscium, quidam verò mixtos ex diuersis corporibus induunt. Numina vocant, quæ

verius, ipsius Seneca scriptum hoc fuisse: & Florum imitando decerpisse.

xxxiii. QVI NVPSIT? Nempe pauperculus ille, sœbratilis maritus. Qui nubere dicitur asperè, quo-

niam in leges & manum venit, facturus quod iubetur, & obnoxius est famina.

xxxiiii. Pulcherrima hæc Fragmenta explicata à me toto Cap. xviii. libri xi. Electorum.

xxxvi. Vi-

quæ si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur. Deinde aliquantò post, cum theologiam naturalem prædicans, quorundam philosophorum sententias digessisset, opposuit sibi quæstionem, & ait: Hoc loco dicit aliquis: Credam ego cælum & terram deos esse, & supra lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit Deum sine corpore, alter sine animo? Et ad hoc respondens, Quid tandem? inquit: veriora tibi videntur T. Tatiij, aut Romuli, aut Tulli Hostilij somnia? Cluacina T. Tatius dedicauit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Paucorem atque Pallorem, terribilissimos hominum affectus: quorum alter mentis territæ motus est, alter corporis, ne morbus quidem, sed color. Hæc numina potius credes, & cælo recipies? De ipsis verò ritibus crudeliter turpibus, quàm liberè scripsit? Ille, inquit, viriles sibi partes amputat, ille lacertos fecat. Vbi iratos deos timent, qui sic propitios habere merentur? dii autem nullo ipsi debent coli genere, si & hoc volunt. Tantum est perturbatæ mentis & sedibus suis pulsæ furor, ut sic dii placentur, quemadmodum ne homines quidem sæuiunt. Terribili, & in fabulas traditæ crudelitatis tyranni, lacerauerunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. In regiæ libidinis voluptatem castrati sunt quidam, sed nemo sibi ne vir esset, iubente domino, manus intulit. Se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet quæ faciunt, quæque patiuntur: inueniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus fureretur: nunc sanitatis patrocinium est, insanientium turba. Tam illa quæ in ipso Capitolio fieri solere cõmemorat, & intrepidè omnino coarguit, quis credat nisi ab irridetibus aut furentibus fieri? Nam cum in Sacris Egyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnum esse gaudium derisisset, cum perditio eius inuentumque fingatur, dolor tamen ille atque letitia, ab eis qui nihil perdididerunt, nihilque inuenerunt, veraciter exprimat: Huic tamen, inquit, furori certum tempus est. Tolerabile est, semel in anno insanire. In Capitolium perueni, pudebit publicatæ dementiae, quod sibi vanus furor attribuit, officij. Alius numina Deo subiicit, alius horas Ioui nunciat, alius lictor est, alius vnctor qui vano motu brachiorum imitatur vngentem. Sunt quæ Iunoni ac Mineruæ capillos disponant, longè à templo non tantum à simulachro stantes, digitos mouent ornantium modo. Sunt quæ speculum teneant, sunt quæ ad vadium sua deos aduocent: sunt qui libellos offerant, & illos causam suam doceant. Doctus Archimimus senex iam decrepitis, quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi dii libenter spectarent, quem homines deserant. Omne illic artificum genus, operantium diis immortalibus, desidet. Et paulò post: Hi tamen, inquit, etiam si superuacuum vsum, non turpem nec infamem Deo promittunt: sedent quædam in Capitolio, quæ se à Ioue amari putant: nec Iunonis quidem, si credere poteris velis, iracundissimæ respectu terrentur. Hanc libertatem Varro non habuit, tantummodò poëticam theologiam reprehendere ausus est, ciuilem non ausus est, quam iste concidit. Sed si verum attendamus, deteriora sunt templa, vbi hec aguntur, quàm theatra, vbi finguntur. Unde in his sacris ciuilibus theologiæ has partes potius elegit Seneca sapienti, ut eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Aut enim: Quæ omnia sapiens seruabit tamquam legibus iusta, non tamquam diis grata. Et paulò post: Quid quòd & matrimonia, inquit, deorum iungimus, & ne piè quidem, fratrum scilicet & fororum? Bellonam Marti collocamus: Vulcano Venerem: Neptuno Salaciam: quosdam tamen cœlibes relinquimus, quasi conditio defecerit: præsertim cum quædam viduæ sint, ut Populonia, vel Fulgora, & diua Rumina, quibus non miror petitorum defuisse. Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo æuo, longa superstitio congeffit, sic, inquit, adorabimus, ut meminerimus, cultum eius magis ad morem, quàm ad rem pertinere. Nec leges ergo illæ, nec mos, in ciuili theologiâ id instituerunt, quod diis gratum esset, vel ad rem pertineret: sed iste, quem Philosophi quasi liberum fecerunt: tamen quia ILLVSTRIS POPVLI ROMANI SENATOR erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.

Cap. xi. de eodem Senecâ.

Hic inter alias ciuilibus theologiæ superstitiones reprehendit etiam sacramenta Iudæorum, & xxxv. maximè sabbata: inutiliter id eos facere affirmans, quòd per illos singulos septem interposi-

xxxvj

terpositos dies septimam ferè partem ætatis suæ perdant vacando, & multa in tempore vrgentia non agendo lædantur. *Christianos tamen iam tunc Judæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est: ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem.*

Ibidem.

xxxvi. *De illis sanè Judæis cùm loqueretur, ait: Cùm interim vsque eò sceleratissimæ gentis consuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt. Mirabatur hæc dicens, & quid diuinitus ageretur, ignorans. Subiecit planè sententiam, quæ significaret, quid illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim: Illi tamen causas ritus sui nouerunt, & maior pars populi facit, quod cur faciat, ignorat.*

Scriptor vitæ P. Virgilij Maronis.

xxxvii. *Seneca tradidit, Iulium Montanum poetam solitum dicere, inuolaturum se quædam Virgilio, si & vocem posset, & os, & hypocrisin. eosdem enim versus, eo pronunciante, benè sonare; sine illo, inarescere quasi mutos.*

Seruius in vi. Æneid.

xxxviii. *Seneca scripsit de situ & sacris Ægyptiorum. hic dicit, circa Siemem extremam Ægypti partem esse locum, quem Philas, hoc est Amicas vocant, idè quòd illic est placata ab Ægyptiis Isis, quibus irascebatur, quòd membra mariti Osiridis non inueniebat, quem frater Typhon occiderat. Quæ inuenta postea cùm sepelire vellet, elegit vicinæ paludis tutissimum locum, quem ad transitum constat esse difficilem. limosa enim est & papyris referta.*

Idem Seruius in ix. Æneid.

xxxix. *Ganges fluiuis Indis est, qui secundum Senecam in situ Indis nouem alucis fluit, secundum Melonem septem: qui tamen & ipse commemorat nonnullos dicere, quòd tribus alueis fluat.*

Priscianus lib. vii.

xl. *Seneca Ouidium sequens: Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba.*

Concilium Turonense II. Can. xv.

xli. *Aliqui Latci, dum diuersa perpetrant adulteria, hoc quod de se sciunt, in aliis suspicantur, sicut ait Seneca, pessimum in eo vitium esse, qui in id quo insanit, ceteros putat furere.*

xxxvi. VICTI VICTORIBVS LEGES DEDE-
RVNT.] *Rutilius:*
Atque vtinam numquã Iudæa subacta fuisset,
Pompeij bellis, imperioque Titi!
Lanius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.
Vbi etsi Iudæi nominantur, certum Christianos maxi-

mè intelligi: sicut & in Senecâ ipso.

xxxviii. DE SITU ET SACRIS.] *An & ipsam Ægyptum ergo descripsit? nisi legis, de ritu. Tamen & statim, Fragm. proximo, de situ Indis.*

xl. GAUSAPA SI SVMPST.] *Est ipse Ouidij versus, lib. ii. de Arte. Ergo hoc vult, Senecam non verum scripsisse, sed illo exemplo Gausapa extulisse.*